



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Honestate Canonicoꝝ, Et Alioꝝ
Ecclesiasticorꝝ Specvlꝝ**

Langhe-Cruys, Johan

Duaci, 1587

Serenissimo Parmae, Et Placentiæ Dvci Alexandro Farnesio, Clarissimo
Avrei Velleris Eqviti, Et Belgicarꝝ Ditionꝝ Philippi II. Hispaniarꝝ, Et
Indiarꝝ Regis Vnice Catholici Gvbernatori, Et Svpremo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63733)



SERENISSIMO
PARMAE, ET PLA-
CENTIÆ DVCI ALEXAN-
DRO FARNESIO, CLARISSIMO
AVREI VELLERIS EQVITI, ET
BELGICARVM DITIONVM PHI-
LIPPI II. HISPANIARVM, ET IN-
DIARVM REGIS VNICE CATHO-
LICI GVBERNATORI, ET SV-
PREMO FELICISSIMOQVE BELLI
SVÆ MAIESTATIS PRÆFACTO

S. O. P.



V M abhinc octennium in
nostro exilio, Serenissime
DVX, memoria repeterem,
reuerendum Dn. Ioannem
Baptistam Langheum, felicitatis recorda-
tionis, collegiatæ Ecclesiæ S. Petri oppi-
di Casletensis Præpositum, & Metro-
politaneæ Mechliniensis Canonicum &
Officialem, Præposituram hanc suam
mihi ignoto gratuita liberalitate ac be-
nificentiâ renuntiasse, & à Regia sua Ca-
tholica Mat^e impetrasse; ea sancta lege,
& cōditione, vt quàm possem maximè
ā ij pieta-

pietati, ac honestati Canonorum operam darem: nō intemptiuum, nec incommodum fore putauī, si durantibus nostræ residentiaē periculis, tractatus aliquot ex variis & probatis auctoribus colligerem; ad demonstrandum istam meam ab Ecclesia inuitam & coactam absentiam, nō modò iure Pontificio, sed etiam sanctorum Patrum doctrina, & exemplis permissam, Ecclesiae nostræ Canonicis, & aliis mihi subditis non inutilem, imò mea corporali illic praesentia vtiliorem fuisse. Cùm igitur Dei gratia, pro meæ eruditionis, & industriae exiguitate, duos libellos collegissem, eosque viris insigni doctrina, integritate, ac sinceritate perlustrandos & examinandos tradidissem: hortati me sunt, vt quos Ecclesiae tantum nostræ Canonicis praelegendos congesseram, ad communem totius Cleri vtilitatem prelo edī curarem. Quibus omnibus satisfacere cupiens, consideratis libellorum argumētis, arbitratus sum, priorem, scilicet, De malorum horum temporum causis, & remediis, nemini conuenientius dedicari posse, quàm Regiae

DEDICATORIA. iij

Regiæ suæ Catholicæ Maiestati : alterum verò hūc, De vita & honestate Canonorum & aliorum Ecclesiasticorū, Serenissimæ Celsit. T. nuncupandum duxi ; quia illam ad huiusmodi sancta & honesta studia promouenda, & protegenda propēssimam intelligo. Præterea, quòd istius honestatis (ad quam amplectendam, omnes Ecclesiasticos hortandos ac inducendos nunc puto) fundamentum iecerit Paulus 3. summus Pontifex, præclarum nobilissimæ familię Celsitudinis tuę Farnesianę decus & ornamentum, per Oecumenici Concilij indictionem, primò Mantuæ, postea Vincentiæ, tertio denique Tridenti, vbi & faustum sumpsit sessionibus octo exordium. Quæ etiam non sine magnis difficultatib. à Carolo quinto atque Ferdinando augustissimis Romani Imperij Cæsaribus, & Philippo secundo Rege Catholico ; illustrissimæ prosapię tuę quoque Celsitudinis Austriacæ ex parte materna, columnis, mirum in modū, & vt initium sumeret, & finem cōsequeretur, promotā & adiuta fuit. Porro, cū ad locorū temporūq.

ā iij leuan-

leuandas calamitates, sedandas de religione cōtrouersias, ad deprauatos corrigendum mores & abusus, denique ad veram & Christianam Ecclesiæ pacem ac tranquillitatem parandam, à celeberrimo illo œcumenico Concilio clericorū honestas obseruari decreta & statuta sūt; ànne admiranda & deploranda res foret, D v x Serenissime, si tam celebris Synodus, Catholicam repræsētās Ecclesiam, tot tantorumq̄ Patrum & Doctorum frequentia, tot tantorumq̄ Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, Rerum public. præsidio & auxilio conuocata, celebrata, & Dei fauore ac gratia peracta, diceretur, & videretur frustra & incassum habita? quodq; ipsa sancta Catholica Ecclesia tot tantisque tunc circumcincta periculis, spe sua & expectatione frustraretur? Frustratos autem nos omnes in Belgio, nostris, pro dolor, oculis inuiti videmus. Quis enim hīc hereses extirpatas, schismata sublata, mores reformatos, Ecclesiasticam disciplinam instauratam, bella sopita, pristinam pacem ac tranquillitatem reductam esse dixerit? profectò, nullus.

Horum

DEDICATORIA.

v

Horum tamen causa Synodum illam indictam & celebratam fuisse, illius testantur decreta. Quinimò annos duodecim, priusquam indiceretur ipsa, in cōuentu Ecclesiasticorum, & præcipuorum procerum Catholicorum Germaniæ, à Sedis Apostolicæ Legato Ratisponæ habito, pluribus vtrinque in discussionem propositis & allatis, ac præcipuè, quibus consiliis, quibúve modis Germanicæ nationi periclitanti confuleretur; paribus sententiis declaratum, & receptum fuit, perditissimam istam hæresim rudi populo plausibilem, ob libertatē illi falsò persuasam (sicut iam hîc in Belgio) prætextu Euangelicæ libertatis, non paruum habuisse occasionem, partim à perditis clericorum vita & moribus; partim ob non diutius dissimulandum sacrarum sanctionum, Ecclesiasticarumque cōstitutionum abusum: ideoque non parum momenti extirpandis hæreticorum, & eorum confœderatorum sectis allaturum, si clerici ad honestatem vitæ moresque illos, quos D. Paulus ipsis præscripsit, debita

Timoth. 2. 22.

cenſura reducti, abususque laicos malè

ã iiij offen-

offendentes sublatis fuerint.

*lib. 3. de confi-
der. vide in fra-
tib. 2. az. f. 126.*

D. Bernardum grauiiter cū Eugenio
Papa 3. expostulasse legi, quòd quarto
post cōcilium Remense anno, inuenif-
set aliquot illius decreta nō obseruari.
Quid si ille nūc superesset, & vigesimo
secundo anno post tam solemnem œ-
cumenicam Synodum Tridentinam,
conspiceret omnia adhuc fermè ipsius
decreta Clericorum reformationem
cōcernentia inusitata & neglecta iace-
re? Si quis verò Prælatus reformationis
in suam Ecclesiam inducendæ & exe-
quendæ, præ cæteris studiosior esse vo-
luit, dictum illi fuit eam alibi nusquam
obseruari; vel illam paulatim & tēporis
successu inducendam; donec, scilicet, hæc
aspera Dei flagella saniores nobis da-
rēt intellectum, & diligentiam. sed vti-
nā hæc illis vel inuiti cōsequi ac retine-
re potuissemus. Pulchrū quidem, imò
& necessarium ad salutem nostrā fuit, fi-
dei & doctrinæ conseruasse integritatē;
sed qui illorum cōseruatione dumtaxat
securi fuerunt, illi ignorasse mihi vidē-
tur, ob vitæ morumq. corruptionem,
veram fidei & doctrinæ integritatem a-
mittere.

mitti. Si omnes Orientalis Ecclesie clerici voluissent se œcumenicarum Synodorum decretis submittere, eaq. piè credere, ac rectè obseruare, persuasissimum mihi habeo, quod totum Orientem in fide ac religione Catholica adhuc florentissimum audiremus. Verum quia clerici, qui illic hæresium ac prauorum morum auctores fuerunt, sacrorum conciliorum decreta recipere & obseruare noluerunt, idcirco omnes Asiae & Africae prouinciæ, propter quas potissimum illa celebrata erant, nunc vel ad atheismum seu paganismum deuenerunt, vel in schismatibus excæcati & obdurati miserè pereunt.

Memoriæ prodidit Eusebius Cæsariensis lib. 8. c. 14 Palestine quondam Episcopus, in Ecclesiastica sua historia, ante sui temporis persecutionem mirabiliter & valde magnificè per uniuersum mundum, Christi sermonem, pietatis doctrinam profecisse, & in illud sublimitatis ascendisse, ut enarrare vires suas superarit. Atq. sic diu Ecclesiarum status incrementis prosperioribus augebatur, & gloria earum terris excedens, & cuncta supereminens festinare videbatur ad celum.

ã v Verum

Verum ubi ex multa libertate, multaq̄
indulgentia vitiiati sunt mores, & disci-
plina corrupta est, dum alter alteri inui-
deret, & alter alteri derogaret; dumque
se inuicem morderent, & incusarent;
dum verborum iaculis proximorum
corda terebrarent, & aduersum se mu-
tuò intestina praelia commouerent; dū
Principes cum Principibus, populi cū
populis seditiones & certamina concita-
rent: dum simulatio in vultu, dolus
in corde, fallacia proferretur in verbis,
& malorum per singula cumulus intum-
esceret: diuina prouidentia iacturam
disciplinæ populo suo illatam, ex pluri-
ma pace, & nimia sua lenitate prospici-
ens, aggrediebatur primò sensim re-
frenare lapsantes; & integro adhuc Ec-
clesiæ statu, congregationibusque ma-
nentibus, permisit eos, qui erant in mi-
litiâ tantum Gentilium persecutione
pulsari. Sed cum nullus ex hoc clemē-
tiæ eius intellectus populis daretur,
quin potius velut ignorantes Deum,
absque diuina prouidentia res agi du-
cerent; & per hoc eò magis persisterent
in malis; atque ipsi, qui duces populi vi-
deban-

debantur & principes, diuini mandati
immemores effecti, aduersus se inuicē
contentionibus, zelo, liuore, superbia,
inimicitiiis atque odiis inflammaretur;
ita vt Christianæ humilitatis obliti, sa-
cra mysteria profanis mētibus celebra-
rent: tunc demum secundum vocem
Ieremię prophetæ, caligine obtexit, &
obscurauit in furore, & in ira sua, Do-
minus filiam Syon, & deiecit de celo
in terram gloriam Israël, & omnes mu-
nitiones eius destruxit. Et sicut dicit in
Psalms; Destruxit & euertit testamen-
tum serui sui; polluit in terra sanctifica-
tionem eius; per Ecclesiarum scilicet
subuersionem; & destruxit omnes ma-
cerias eius, qui trāsierunt per viam, pro
quibus cunctis opprobrium facti erant
vicinis suis: exaltabat enim dexteram
inimicorum ipsorum, & auertebat ad-
iutorium gladij sui, & non adiuuit eos
in bello, sed destruxit eos ab emunda-
tione, & thronum eorum elisit in ter-
ram. Atque hac ratione & modo vide-
batur Deus paucos illorum fecisse dies,
& maximam super eos effudisse confu-
sionem. Summa namque malorum om-
nium

x
 mnum illis tunc adesse videbatur, cum
 domus orationis & Ecclesie Dei viui
 ad solum deducte essent, atque ab ipsis
 subuersa iacerent fundamentis; diuinæ
 scripture in medio platearum igne cre-
 matae essent; Sacerdotes Domini & Pa-
 stores Ecclesiarum publice denudati,
 inuerecunde & inhoneste huc atque il-
 luc ab impiis distraheretur. Sed non est,
 inquit Eusebius, nostrum describere,
 quanta prius inter nos rabies dissensio-
 nis exarserit: hoc solum historia tradere
 licuit, quod iusto Dei iudicio, & neces-
 saria correptione, diuinam sensimus
 manum.

Ista autem omnia commemorata nunc
 verè & peropportune à Belgis dici &
 scribi posse, nemo qui illorum ante an-
 nos triginta cunctis in rebus felicitatem
 ac prosperitatem viderit, & iam eorum-
 de calamitates, clades, deuastationes, &
 ruinas conspexerit, diffiteri potest. Itaque
 qui inaniter confidunt Deum hinc non
 ablaturum vnà cum fide & religione sa-
 cerdotale regnum, dandum alij genti
 facturè iustitiam & fructus eius; illi
 profecto Euangelium & Prophetas non
 videntur

videntur legisse, vel certè illis debitam non adhibere fidem. Nónne præter alia plurima nefanda & deploranda, cerni in Belgio iam possunt templa solo adæquata, conflagrata, & stabulorum instar foedata? ter sanctum & venerandum Eucharistiæ Sacramentum magna in parte Belgij non extare? diuina officia & sacrificia cessare? bibliothecas sacrarum scripturarum & sanctorum Patrum igne combustas, destructas, direptas, vel prorsus consumptas esse? omnem à Sacerdotibus honorem sublatum? multos publicè denudatos, rebus ac omnibus bonis spoliatos & exutos? è patibulo suspensos? in fluminibus, mari, & stagnis submersos? in exilium missos, turpiterque proscriptos? Episcopos & Nobiles Regiæ suæ Ma^{ti} fideles fraude & vi captos, in carceres admodum inhumaniter detrusos? Quid multa? Nónne etiam ex variis & frequentibus reuerendorum Patrum Societatis I E S V epistolis iam pridem didicimus, barbaras planè nationes & nouas Insulas hæctenus à Romana Ecclesia & Sede Apostolica incognitas
fidem

fidem & religionem Christianam suscepisse, eamque illic vehementer dilata-
ri? In cuius rei certum & indubitatum
testimonium ac fidem Reuerendus Pa-
ter Visitator Societatis Iesu anno 1585
die 23. Martij adduxit secum è Iapaniâ
insula prope Sinas ad Septentriona-
lem plagam versus Orientem posita,
summo Pontifici & Romano imperio
ante annos triginta aut circiter ignota,
& planè ethnica, trium potentissimo-
rum Regum Legatos ad osculandum
pedes Rom. Pontificis, eique obedien-
tiam præstandum; & sese sanctæ Catho-
licæ Ecclesiæ coniungendum, quò in-
ter Christianos numerari possent. At
felix & prosper ibi successus, spem qui-
dem optimam ac certâ de Dei clemen-
tia & misericordia tribuit fiduciam: sed
abolitio & extinctio fidei ac religionis,
quæ, cheu! iam hîc fit, metum incutit
iustitiæ & seueritatis diuinæ: ne fortè
nos nûc prorsus frangamur ex vera san-
ctæ, Catholicæ & Apostolicæ Rom. Ec-
clesiæ oliua, & inseratur illi. Nam sicut
naturalibus ramis olim non parcens,
ipforum peccata nostras fecit esse virtu-

tes atque salutem: ita iam metuendum, ne nostram in fide, religione & virtutibus defectionem seu diminutionem, illarum nouarum gentium faciat incrementa, ad æternam cōsequendam beatitudinem, nobis & posteris nostris ad inferni misérias, pœnas & tormenta semper duratura detrufis. Quoniam nō plura nobis de ipsius misericordia polliceri possumus, quàm olim Asia, Africa, & multæ nūc etiam Eūropæ partes: quæ quamdiu clericos vera honestate, fidei integritate, sobrietate, castitate, pietate, cōcordia, humilitate, obedientia, aliisque virtutibus præditos habuerunt; tandiu vigerunt & floruerunt.

Quare, Serenissime Dvx, quia illa fuit omnium sanctorum Patrum S. S. Cōcilij Tridentini, & maximè Pauli 3. Iulij 3. & Pij 4. Pontificum spes, quòd ad eiusdem exequenda & obseruanda decreta, omnes Christiani & Catholici principes, Prælatis, cum opus esset, auxilio & fauore suo adessent; Serenissimæ Celsit. T. quàm possum effusissimè obsecro, non solùm vt hoc Speculum sub nominis sui auspicio & inscriptione,
quò

quò maior illi accedat auctoritas, & gratius & commendatius sit omnibus, in lucem prodire patiatur: verum etiã huius patrię, & religionis in ea labascẽtis & pereuntis miserta, illustri sua auctoritate, prudentia, consilio & ope ipsius Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos in SS. Concilij Tridentini executione & obseruatione adiuuare dignetur: quò omnes Ecclesiastici illam vitæ ac morum honestatem, pietatem & eruditionem ex sacris conciliis, & aliis probatis auctoribus hauriant & desumant; quibus Laicos ad verum Dei cultum, Catholicæ fidei ac religionis defensionem & cõseruationem, ad Regiæ suæ Ma^{tes} veri ac legitimi Domini obedientiam verbis ac factis instruant, cunctaque diuina officia, præsertim tremendum & maximè venerandum illud Missę sacrificiũ, summa cum reuerẽtia, pietate ac deuotione Deo Opt. Max. pro suis populiq̃ delictis, pro Regiæ suæ Catholicę Ma^{tes}, & T. Celsit. perpetua incolumitate, & in bellicis politicisque rebus curãdis prosperitate, semper persoluant. Quia si id fecerint, sperandugn

DEDICATORIA. xx

randum omnino est, maiorem nos statim diuinam sensuros misericordiam, clementiam ac beneficentiam; feliciorumque in recuperandis prouinciis & locis ab hereticis, & aliis Regiæ suæ Catholicæ Mari rebellibus occupatis, visuros successum. Quantò enim Sacerdotes meliores & digniores fuerint, tantò facilius (sicut Diuus Alexander Papa & martyr inquit) in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur: atq. tunc ipsemet Deus, fortis & potens in prælio, pugnabit pro nobis.

*Alexan. episc.
2. c. 1. ipsi sacerdotes. 1. 7. 10*

Non est aliquid, quo Serenissima T. Celsit. Deo Opt. Max. gratius officium præstare, & sibi suisq. posteris maiorem gloriam, ampliorem laudem, & clariorem vitæ ac nominis splendorem apud mortales parare possit; quàm egregiis in Catholicæ & Apostolicæ fidei ac religionis defensionem, restorationem & cõseruationem, collatis meritis. Neque aliud quidquam gloriosius, illustrius, & ad cõstituendam nominis immortalitatem præstantius, quàm excitari Reip. vtilitate; & omnia, quæ in grauius temporum rerumque calamitatibus

ẽ

tibus

tibus prostrata & euerfa sunt, in pristinam auitamque possessionem ac tranquillitatem restituere. Quapropter & nos magna iam spe tenemur, omnes laborantes & afflicta Belgij prouincias, fortunarum spoliatione, agrorum deuastatione, fame, inopia & peste exhaustas & prostratas, suspiriis & fletibus mardentes, saua & crudeli hostis tyrannide oppressas, Sereniss. Cels. T. imperio, clementia, temperantia, sapientia, fortitudine, iustitia & vigilatia in antiquam illam verae ac Christianae libertatis amplitudinem, & veterem laudis, prosperitatis, pacis ac concordiae possessionem, Dei gratia & fauore, breui restituendas. Tuamque Serenissimam Celsit. talia in Belgio nunc effecturam speramus, qualia olim in Romanis seditionibus, & bellis intestinis maiores sui maxima & perpetua cum laude & gloria gētis Farnesiana, pro Ecclesiastica libertate & Reip. tranquillitate gesserunt: qui Romanae Ecclesiae partes sepe afflicta magna fortitudine & felicitate sustinuerunt.

Et inter multos alios clarissimae
vetustae

stræ familiæ proceres, nonne memorie
 proditum est, fortissimum illum & no-
 bilissimum Petrum seniore[m] Farne-
 sium, ante annos 483. aut circiter, Pa-
 schale 2. Romano Pontifice, Ecclesia-
 sticorum Magistrum, præclaram de Ec-
 clesiæ Romanæ hostibus in Vulcien-
 tium littore obtinuisse victoriam; &
 vetustissimam Coloniam Cossam Vr-
 bitelli nomine restituisse? Quis verò di-
 gnè commemorare & prædicare queat,
 quàm gloriosè Prudentius Petri senio-
 ris istius filius, Lucio Papa 2. & Pepo at-
 que Raynutius, prædicto Prudentio
 progeniti, Ecclesiasticam libertatem In-
 nocentio 3. Pontifice defenderint? An-
 ne etiam Romanæ testantur Historia,
 Petrum Iunio[re]m Farnesium, eiusdem
 Raynutij filium, anno Domini 1313.
 patriam à civili Gibellinorum & Guel-
 phorum seditione (cuiusmodi ferè iam
 hæc nostra Belgica est) maxima cum
 gloria liberasse? Et clarissimo illi Ray-
 nutio Farnesio Pauli 3. Pontificis auo,
 Ecclesiastici exercitus insignem & stre-
 nuum ducem agenti, contra plurimos,
 eosque potentissimos Romanæ Eccle-

siæ perduelles, nonne Eugenius Papa quartus auream donauit rosam, ob rem militarem tunc præclare gestam? Adhæc, nunquid etiam primi Gothorum Reges, à quibus inuictissimus Rex noster Philippus, Serenissime Celsit. T. auunculus originem ducit; ex grata Honorij Imperatoris concessione Hispanias aggressi sunt, & Vandalos, Sueuosque debellando, ab Hispania, quam tyrannicè & contra Imperatoris voluntatem (sicut Princeps Auriacus Belgium) occupauerant, illos summa cum laude & gloria expulerunt? Taliū Maiorum imagines, cum Serenissima T. Celsit. intuetur, non dubium est, animum sibi ad virtutem accendi: non quòd statuæ, vel figuræ illæ tantam in se vim habeāt, sed rerum ab illis strenuè & feliciter gestarum recordatio & memoria, eam egregiis viris flammam in pectore excitat; quæ prius sedari non potest, quàm sua virtute illorū famam & gloriam superarint, vel saltem adæquarint. Quare, Serenissime D. V. X., si Celsit. T. istos, contra quos bellum gerit, non solum Romanæ Ecclesiæ ac Se-

dis

dis Apostolicæ, sed & Catholicæ Regiæ
 Mat^{is} perduelles, deuicerit & profliga-
 rit, procul dubio, nō tantū aurea ro-
 sa, verū multò etiam maioribus præ-
 miis ac ornamentis à Romano Ponti-
 fice, & Catholica Regia Mate donabi-
 tur, & decorabitur. Quia in signum ma-
 ximi, & integerrimi amoris, beneuolē-
 tię, ac munificētię, quibus Regia Ma^{tas}
 T. S. Celsitudinem ob præclara sua stra-
 tagemata, & alia publicè ac priuatim sa-
 pienter gesta amplectitur, illi nuper au-
 reum vellus pretiosissimo exornatum
 torque, dono misit: atquē in amplissi-
 mum nobilissimorum & charissimo-
 rum Equitum sui aurei velleris ordinē
 arrogauit, & assumpsit. Propterea, quā-
 uis aduersarij plurimi ac potentissimi
 sint, expectamus tamen Sereniss. Cels.
 T. non minora nec infeliciora, Deo fa-
 uente & auxiliante, designaturā, quā
 quæ cum clarissimo, & fortissimo Do-
 mino Ioāne Austriaco admodum stre-
 nuè ac faustè cōtra Turcam, anno 1571
 bello nauali gessit, & perpetravit. Et nō
 exiguam quoq. laudem & gloriam hīc
 in Belgio eadem Celsit. T. reportauit,

xx EPISTOLA DEDICATORIA.
ex acerrima ac prosperrima plurimarū
munitissimarum urbium, oppidorum
& castrorum expugnatione, vel coacta
deditio; & pacifica atque tranquilla
in ditionibus Regiæ suæ Mat̄i reconci-
liatis administratione: relatūra verò
maximam & eternam, si etiam alias om-
nes inferioris Germaniæ vrbes, & lo-
ca ab Hæreticis & rebellibus occupata,
ad Ecclesię, fidei & religionis vnitatem,
& clementissimi sui Regis Catholici
obedientiam reduxerit. Quod faxit ci-
tò sua gratia, fauore, & auxilio omni-
potens Deus, qui Serenissimam Celsit.
T. nobis, & Ecclesię suę, saluam & in-
columem perpetuò conseruare digne-
tur.

*Serenissimæ T. Celsitud.
obseryantissimus*

Ioannes Langhecrucius.

A D